

COMMUDI IMP.

VENATIO.



IN Commodi Imperatoris nomismate, quod his proximis diebus ostendit mihi Tiberius Decianus Vtinensis Iuriconsultus, & professor in manè Patauij publicus, vt doctissimus, ita antiquitatis summus indagator, ac obseruator, ista fuerunt. ex altera parte claua erat efficta, quam circum literæ hæc legebantur, HERCVLES ROMANVS. In altera parte Commodus insidebat equo, qui speciem currentis habebat, atque iaculo feram vulnerabat in ipso pectore. quid autem hæc omnia hoc in pulcherrimo nomismate descripta sibi vellent, cum à me peteret Decianus, dixit tunc, historiam apud Herodianum lib. j. huius rei extare, cumque domum me contulisset, Herodianum eo loco, quo de Commodo meminit, perlegi. hîcque verba, quæ ad nomisma faciunt, posui, vt facilius quisque perciperet, ex historijs omnia præteritæ ætatis acta cognosci posse. verba autem hîc quæ Politianus è Græco transtulit, apposuisse operæ pretium fuerit, cum ad manum codicem Græcum habere non possimus. Scribit igitur Herodianus lib. j. historię de Imperio post Marcum siue de suis temporibus, hunc ferè in modum, Eò vecordiæ petulantiaque processit, vt paternum primò cognomen repudiaret, ac pro Commodo Marci filio Herculem se Iouis filium iusserit appellari, depositoque Romanorum principum cultu, leonis pellem substerneret, manúque clauam gestaret, simul purpureas sibi atque auro intextas vestes circumdaret, non sine omnium irrisione: quippe eodem schemate, & foeminarum luxum & heroum virtutem repræsentabat. Commodum etiam fortitudinem suam in perimendis feris publicè ostendisse, ac peritiam sagittandi, ac iaculandi habuisse, idem Herodianus est autor. si quidem cum temperare sibi non ultra posset, publicè spectacula edere professus, omnes se sua manu feras occisurum pollicebatur, & cum fortissimis quibusque iuuenum singulari certamine depugnaturum. Nam ita certa illi esse manus dicebatur, vt quodcunque destinaret, iaculo sagittave contingeret. erant cum illo assiduè Parthorum lectissimi sagittarij, ac Numidæ iaculatores, quos ille tamen omnes longè artificio superabat. Idem etiam Herodianus refert, nudum ingressum esse Amphitheatrum, sumptisque armis numeros gladiatorios impleuisse. Id verò triste Romano populo spectaculum visum, nobilissimum Imperatorem post tam multos parentis sui, maiorumque triumphos non quidem aduersus belluas arma capere militaria, vel Romanorum